
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA BATAVIAE ORIENTALIS;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

G. S. RUTHERFORD,
Hibernus.
IN CLASS. REG. BRIT.
CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.
MDCCCXVIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

JACOBO RUTHERFORD, M.D.

REG. COLL. CHIRURG. LOND. SOC.

CLASSIS BRITANNICAE CHIRURG.

NECNON

REG. MED. SOC. EDIN. SOC.

IN TESTIMONIUM GRATI

QUO COLIT ANIMI,

MEMORIAM STUDII ET CURA

QUIBUS EUM LIMEN

AEDIS HIPPOCRATIS

PRAETERGRESSURUM FOVIT,

HAS PAGINAS

GRATUS VOVET FRATER,

G. S. RUTHERFORD.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA BATAVIAE ORIENTALIS.

PRAEFATIO.

HANC Dysenteriae speciem uti mihimet in expeditione contra Javam, autumno anni salutis MDCCCXI, sese obtulit, medicinam quoque quae feliciore eventu eidem opposita est, describere statui. Morbus nunquam horumce locorum quantum ipse novi descriptus est, atque legibus hujus inclytae Academiae necessario obtemperandum fuit; sed ausis meis vehementer diffido, quando Dysenteriam aliarum plagarum tam graphicè a viris praestantissimis delineatam videam; *dissertatio

* By Dr. A. ROBERTSON, surgeon, R. N.

sertatio quidem anni praeteracti inauguralis argumentum nostrum propemodum praeoccupavit, nisi quod Dysenteria mihi tradita plerumque mitioris fuit indolis quam nostra, quae hostis gladio longè perniciosior apparebat.

Nonnulla exempla tertio, quarto, et plurima quinto morbi die morte terminârunt, auxiliis vehementissimis invicta, praecipuè in Europaeis, advenis et plenioribus. Bataviae nominavi Dysenteriam haud inepte, ni fallor, cum morbus multo gravior apud Bataviam quam aliâ quavis Javae litorum parte, existebat. Militum nautarumque operae collatio contra hostes mutuos, militumque ex alia in aliam orae partem, per naves bellicas, transportatio, medicis tam navalibus quam militaribus optimas morbi contemplandi opportunitates praestitit, etiam inter curandi rationes optimas dijudicandi.

Tali in casu, saevitia nusquam superatâ, theoria rebus malum variè afficientibus succumbere cogetur, et medicus juvenis experientiâ doctus scientiam etiam ob erroribus curationis discet.

DEFINITIO

DEFINITIO.

Praeclarus olim Gulielmus Cullen Dysenteriam in classem Pyrexiarum, et ordinem Profluviorum retulit, atque ita definit.

" Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes mucosae vel sanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis, tormina, tenesmus."

INDICIA.

Dysenteria, omnium malorum quibus humanitas hac regione petitur, maxime horrenda est: atque hoc a situ non minus quam coelo pendet, praecipue in Europaeis proclivioribus ad morbum, bellicarum expeditionum perpetuum comitem. Dysenteria apud nos autumno aut vere apparere consuevit, at Bataviae omnibus reperitur anni tempestatibus, praesertim humidâ quae impetui ejus favet, speciemque morbi atrocissimam praestat.

Quum

Quum mitissima, signis aliis inflammationis comitantibus, praenunciatur, qualia sunt languor, lassitudo, frigus, horrores, ardoribus brevi succedentibus; anxietas haud gravis. His superveniunt molestia ad ventriculum, nausea, vomitus; sapor oris ingratus, lingua sicca et aspera, colorem cum morbi progressu mutatura, sitis urget, dolor ventris, aliquando tormina ex intervallo auctâque saevitiâ redeuntia, pressu exacerbata, flatuque comitata: progrediente morbo, alia signa superveniunt, veluti tenesmus, dejiciendi desiderium, pondus epigastrii ad conamina vacuandi adhuc vehementiora et frequentiora sed irrita urgens, respiratio citatur, oculi hebetantur, pulsus ad 108 vel 120 et debilis; quod dejicitur imprimis tenue, parcum, nigricans: postea parcius factum praeter mucum spumosum vel pus nihil excernitur, sanguis modo abest, modo adest, alias concretiones adiposae descendunt; scybala tam saepe auctoribus de Dysenteria Septentrionali memorata nunquam vidi, et scriptor peritissimus de Dysenteria inter tropicos supra laudatus idem

idem notavit; si remedia non rite admoveantur, tormina ingravescunt, desiderium desidendi fere perpetuum fit, mucus atrior foetidus, ischuria, virium prostratio, pulsus citatior, contractior: lingua sordibus fuscis obtecta, circa labra quoque observandae, spiritus foetens, sitis indomabilis, vultus anxietatem magnam exhibens, oculi graves, nec rebus externis attracti, cutis sudore tenace frigidulo perfusa, extrema frigent, inferiora quidem tument. Circiter hoc tempus delirium mite sese ostendit, spiritus magismagisque angitur, cum suspirio vehemente et singultu. His tot tamque magnis tormentis mors brevi succurrit.

Hunc ad modum morbi formam mitiorem describere conatus sum: sed nimis saepe ab ipso initio aspectum saeviorem induit, tenuioris formae quasi spernax, et internecionem contra omnes conatus nostros minitans. Talibus anorexia, sitis, calor cutis auctus, pulsus celer, acutus, nausea, vomitus praecurrent, quin et gravia tormina, tenesmus, conatus dejiciendi non superabiles, ut prima indicia extiterunt, saepe intra

paucas

paucas horas formam gravissimam induerent, febre comitante in Typhodem degenerante, pulsus celer, parvus, debilitas ingens, vultus magnam anxietatem exhibens; oculi languidi, spiritus labore reciprocatus, sitis magna; lingua involucro aspero, arido, et fusco contecta, vomitus nonnullus, tormina, tenesmus, et prae omnibus desidendi cupido severior nonnullis, quidem infaustis exemplis nunquam mitigatio adeoque immanis ut conamine ipso mortem supervenire cognovi. Dolor ventris acutus, pondus in regione hypogastrica, dejectiones tenues, atrae, sero sanguineo commixtae; fibrosa quaedam, dejectione excreta, et morbi finem versus magnae portiones intestini emortui, descendunt.

Progrediente morbo, respiratio magis difficilis fit, sudores frigidi cutem irrorant; vomitus gravior sed tormina minus molesta; delirium, extremorum frigus, foetor universi corporis, singultus miseriis finem imposuerunt, postquam morbus a tribus ad quinque dies restitisset. Hic observandum est, plenos et robustos homines, aliosque ab Europa recens advectos citis-

sime

sime sublatos esse, febre acerbiore iis existente. Huic adjiciatur fibras eorundem rigidiores esse quam quae facile remediis infra docendis obtemperarent; nam ii, qui aliquamdiu in India valetudine prospera usi sunt, morbum fere mitissimum experiebantur; atque etiam cum vehementius affecti signa refectionis maturius exhibuerunt, fibra, nunc laxata ut videtur, magis promptè efficaciae remediorum dictorum potentissimae cedente.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Cum his omnes causae quae corporis vel animi debilitatem inducunt adnumerantur, veluti morborum acutorum refectio, labor ingens fatigationem inducens, exinanitiones profusae, affectus animi deprimentes, quales sunt metus, tristitia, anxietas; aut mentis incitantia, tempus anni pluviale hujus plagae simili modo confert, glandium obstructiones, ut hepatis, lienis, pancreatis, glandiumve mesentericorum ventriculi turbationes, vel intestinorum, cibus vel insalubris

salubris vel aegre coquendus, vel deficiens, vinorum vel epulorum indulgentia, vigilia nocturna, studium nimis intensum, calor regionis immodicus, et prae omnibus aqua rebus putrescentibus tam animalibus quam vegetabilibus inquinata, quae etiam inter causas excitantes Dysenteriae, ut opinor, praecipuas recenseri potest Bataviae, enim praecipue inter nautas aqua hauritur canalibus qui civitatem transcurrunt, atque siccitatibus quam maxime impura redditur, tarde admodum fluens, vix quidem perceptibilis, ideoque soli tropico exposita fit, necessariô perquam noxiosa. Regionis* calidae, praecipue humilis vel paludosae diuturna habitatio adnumeratur, qualis prope Bataviam vel vicinum littus observari solet.

CAUSAE EXCITANTES.

Inter causas excitantes una prominet, contagio nempe specifica quam auctores nonnulli prorsus

* Vide the Edinburgh Medical and Surgical Journal for April 1816, vol. xii, page 129.

prorsus recejiciunt. Quod Dysenteria formam contagiosam induere possit nihil dubito, quodque in hac expeditione contagiosa extiterit perinde confido. Opinionem adversam hactenus tutus sum, donec res concurrerent variae quae omne animi dubium removerent. Quum primum at Bataviam classem appulimus, paucula certè exempla endemica occurrerent, quas aliis causis optimo jure tribueris; brevi tamen, morbo faciem novam induto, febris a remittentis ad Typhodis notam transiit. Violentiâ immani omnes indifferenter adortus est, quasi aetatem, constitutionem, vitae genus nihil morans; sic ut classem, quum haec ad aliam litoris partem et salubriorem a Bataviâ promota esset, violentiâ indomitâ vexare perstitit.* Nihilominus facilè concedo Dysenteriam endemicam non contagiosam fieri, donec certus aegrorum numerus, in unum collectus, hanc qualitatem conciliet. Tantum de hac re dictum est ab auctoribus, ut vanum esset nobis argumenta nostra interponere, praesertim quum eadem jampridem subinde pro-

* Vide JOHNSTONE on the influence of Tropical Climates on European Constitutions, page 108.

lata sunt; res igitur quas viderem factas solummodo narrabo.

Medicis* plerisque conceditur, effluvia paludum, rorumve vegetabilium putrescentium, corpori sub certis conditionibus adhibita, nunc febrem excitare, nunc Dysenteriam, secundum proclivitatem existentem. Caeteris paribus inter tropicos, dysenteria frequentior erit, ideoque in expeditione aliquâ milites, qui tentoria prope paludes vel paludosa loco collocaverint, hoc morbo affliguntur, dum alii sicca et altiora tenentes sanissimi manebunt; idem inter nautas apparet, qui vel paucis horis litore istiusmodi lignati vel aquati sunt. Naves dum ad anchoras stant, oris bene distantes, pro natura harum sicca vel paludosa salubres praestant. Situs utique caelumque Bataviae tam perfectè hujus generis apparet, ut causam praecipuam excitantem existimem.† Neque dubius sum omnes regiones inter tropicos, febri remittenti ... autumnae

* Vide Sir John Pringle, on Diseases of the Army, page 253.

† Vide Bancroft, on Yellow Fever, page 536.

autumnae obnoxias, Dysenteriae quoque patere. Subitae a frigore ad calorem transitiones causa frequens habetur, atque regione calidiore rem ita se habere non disputarem, sed temperatis et frigidis mutationes similes quotidiè innocenter fieri videmus. Caelum frigidum, humidum, corpori diu admotum, a consensu cutem inter et intestina interna causa, fit; etiam venter frigori expositus, aut vestimento nimis tenui contectus in delicatioribus nocet; similiter frigus pedibus cruribusve admotum, humi madidi, vel vestimentis humidis cubile, roribus nocturnis objectum, praesertim post diem calidum, Dysenteriam excitant. Victûs mutatio quoque subita, ut inter nautas post longam navigationem, in portum reduces vidi. Haustus aquae frigidae corpore calente, in plurimis alvum afficit, et rebus ut supra se habentibus causa excitans fieri potest. Hepatis, ideoque bilis vitiatio, causa excitans nonnullis habetur, quod irritationem conservabit intestini, nondum vigorem naturalem redepti, sine dubio in iis qui ex Dysenteria jam convalescunt; attamen, si causa excitans esset, nonne sperari liceret, illam intestinorum

norum portionem quam bilis primum pertransiit, magis et citius affectum iri? Sed dissectione factâ, haec portio ferè sanissima apparet, etiam iis exemplis, ubi jecur quam maximè morbo corruptum est; quomodo etiam homines plurimi, in locis Dysenteriae gignendae opportunissimis, sub jecinoris vitiis per hebdomodas nonnullas laboraverunt, atque hoc in tempore quo sevissimè morbus grassaretur, neque ullum vel levissimum Dysenteriae signum senserunt. Cujus rei, si non quotidie accideret, exempla plurima apud Bataviam habuimus. Confiteor tamen easdem causas generales quae hepatis vitia inducit inter tropicos, Dysenteriam posse inducere, nequaquam hanc ab illa generari, ut jecinoris post mortem dissectio nonnullos credere adduxit.

CAUSA PROXIMA.

De hac, utcunque auctores disputaverint sententiam Doctoris Harty, amplecti propensus sum,

sum, morbum nimirum in inflammatione membranae internae et mucosae constare, quae omnia morbi signa satis explicat.

DIAGNOSIS.

Dysenteriae signa tam manifesta sunt, ut paucis admodum morbus confundi possit; tormina gravia, signa dejectionum, morbosa febris, multa, eam a Diarrhoea distinguunt.


A Cholera, vomitu crebro et purgatione materiae biliosae, surarum spasmis, virium prostratione, tamen febre, desidendi cupiditate, facieque stercorum sanguinea, absentibus distinguitur.

In Colica autem alvum duram, ventris dolorem, premente manu levatum, nec febre comitante, aeger conqueritur.

Ab Enteritide, obstipatio obdurata, dolor

ventre

ventre fixus quasi, urens pulsus, celer, parvus, et durus, ventriculi mobilitas, Dysenteriam satis distinguunt.



PROGNOSIS.

Haec cautissimè proferenda: temperatur enim a tempore morbi, caelo, loco, aetate, viribus aegri, tempore peregrinationis inter tropicos, genere vitae moribusque. Si febris levis est neque remittens, nec typhodes salivatis facilis, dejectiones in dies pauciores atque saniores, tormina doloresque mitescunt, cutis sudore calido madeat, pulsus tardior et mollior, somnus melior, cum cibi appetitu redeunte, spem fovere licebit.

Contra corpore prioribus morbis, ut phthisi vel scorbuto conquassato, febre typhode remittente, torminibus, tenesmo gravibus, hepate morbo vitiato, obstructo, dejectionibus foetidis, purulentis, sanguineis, vultu anxio, linguà sordidissimâ

didissimâ, aridâ, tunica obductâ, (praesertim si hydrargyrus non salivam movet,) etiam gingivis ulceratis, post hydrargyrum incassum exhibitum, parum et cautè sperare oportebit; porro delirium, pulsus debilis intermittens, cutis humore frigido, foetido contecta, membrorum frigiditas, doloris subita mitigatio, singultus, dejectiones sine sponte, spiritus oppressus, mortem fere praenuntiant.

CADAVERIS INCISIO.

Exempla morbi letho terminata inflammationem evidentissimè indicabant. Gangraena nunquam latè serpsit; sed colon et rectum sanguine, nigro grumio et muco viscido, pureque foetido, referta, faciei eorum internae adherenti, quo sublato ulcera tunicas penetrantia repeperiuntur; stercora raro naturalia in colo vel recto inventa, maculae circumscriptae lividae, etiam intestinis minoribus subinde visae, ramuli vasorum mesenterii turgidi, et numerosiores quam

quam sanis esse solent, observantur. Notae autem inflammationis, semper pro portione impetus morbi, vigoris, juventutis et peregrinationis hominis affecti videbantur. Morbus protractior eorum, qui corporis robur diuturnâ, in India commoratione, luxuriâ vel impetu Dysenteria repetito minuerant. Gangraena extensior extitit, intestinis passim materiam nigram caffaeae faecibus similem habentibus ; hepar tumefactum, atriore colore, saepe abscessibus instructum est.

In Dysenteriâ longâ, idem utcunque auctum, pallidius natura, etiam cenereum fuit ; cum crebris vesicula fellis semper bile turget indurationibus, lien aliquando et pancreas aucta et indurata.

CURATIO.

Ut arceat vel ad sanitatem reducat Dysenteriam, medici est, non minus ad vestitum quam

medicamanta

medicamenta et victum attendere. Quam ob causam pannus laneus proxime cuti induendus est, atque sub forma fasciae abdomini circumjectae melius respondere, quam ut solet laxum, haud dubito; hi tamen modi facillime conjungantur. Intestina liberaliter, sed modis lenissimis, vacuare, res maximi est momenti, ideoque omnia acriora et stimulantia cathartica (ne oleum addas camino) vitanda erunt; sales medii, boni oleum ricini optimum est; atque lenibus exemplis sine vomitu, tartras antimonii in potu tepido solutus, modicisque dosibus, intervallisque multum remotis, utilissimus visus est, cum non solum cutem relaxet, ideoque perspirationem copiosam inducit; et humores simul cutem versus dirigens, vasa intestinorum sublevat, sed alvum quoque libere movet; alvo quomodocunque soluta, diaphoretica vesperi exhibenda sunt, veluti pulvis antimonii, opio conjunctus, vel quod melius est, pulvis ipecacuanhae et opii, transpiratione per cutem interea diligentissime conservata; ad hoc utilia sunt pediluvium, potus blandus, tepidus, aegrum bene stragulis contectum in lecto continere, aqua

 frigida

frigida omni morbi tempore sedulo prohibenda est, necnon frigus, quoniam levissima hujusmodi copia tormina augere solet. Diluentia copiosissima permittenda sunt, qualia intestina lubricant, acrimoniam materiae secretae obtundunt; sic decoctum hordei vel oryzae, cui pauxillum gummi ex acacia Arabica adjiciatur, seminum lini infusum quoque. Inter hos modos dolorem febremque mitigandi, nonnulli sanguinis missionem interposuerunt. Nonnunquam tuto, aliquando utiliter hanc usurpari posse, non negarem, sicuti cum vehemente pyrexia abdominis, dolor et tensio eos urgent qui juvenes sunt, nec coelo orientali adhuc accommodati. Quum autem febris hic concitans, tam cito in typhum degeneravit, non affirmarem me unquam in hac tota expeditione exemplum vidisse, quod hujus remedii usum vindicaret; remedium denique est haud suspicione et ambiguitate vacuum, ideoque caute admodum adhibendum, etiam ubi enixe perquam postulari videatur. Siquando vero eo opus sit, exulceratoria vel hirudines, umbilico admota, probe auxiliantur.

Morbo

Morbo, his nihil obstantibus, quotidie ingravescente, remedium adhuc nobilissimum, quasi praesidium manet Calomelas. Bifariam exhibitur; semper tamen eodem proposito, ut salivatio moveatur, modo enim minutas portiones, cum vel sine opio prout indicia erint, administrant; modo iterum proportiones multo copiosiores, sed longioribus intervallis, donec salivatio, res desiranda quam maxime superveniat. Neuter modus eget fautoribus; uterque, enim, morbum saepe feliciter fugabit, sine ullo alio auxilio, per totum cursum ejus, adhibito. Differentiam inter has curationes ad caeli discrimina referrem, nam cum Dysenteria gravissima est, magnae calomelanos doses melius respondere videntur, certe salivae fluxum citius movent. In hac expeditione, quo citius id affectum est, eo melius res cesserunt; ideoque scrupulum, sexta quaque hora, repetitum utilissime propinatum novi, neque in ullo exemplo ubi salivatio inducta est, (atque plurima talia fuerunt,) dejectiones copiosae non supervenerunt, tormina et tenesmus evanuerunt, vires aegro restitutae visae sunt, visceribus tonus rediit, appetitus cibi

cibi restituebatur; tanta quidem mutatio facta est, extra periculi aleam aeger poneretur. JOHNSTONE ait, "Emboldened by the good effects of the acceleration of ptyalism, I afterwards tried calomel in scruple doses, two, three, or even four times a-day, without any other medicine whatever, and found that it almost invariably eased the tormina and tenesmus, the propensity to stool, and, on the whole, brought on ptyalism sooner than any other plan of smaller and more frequent doses." In nonnullis exemplis ubi tormina molesta fuerunt, ptyalismus difficilis, unguentum hydrargyri fortius in abdomen infricatum affectionem illam molestissimam valde levaret, et conversionem supra dictam faustum promoverit. Apparuit quoque aegrum quo saepius olim in hac regione, ob qualemcunque causam salivationem subisset, eo difficilius iterum ad salivationem provocari. In iis exemplis ubi calomelas os quidem exulceravit, sine salivâ tamen promotâ, cutis calida et sicca manebat, dejectiones fere, omnino ex sanguine vel materia purulenta constabant, torminibus nihil cessantibus, ideoque

gangraenam

gangraenam non supervenisse indicantibus; calomelas suspensus est, et sales medii vel oleum ricini, cum opiatis et sudorificis, commodissime data sunt.

Difficultas quidem salivae movendae, proportione excitationis, semper apparuit, quam igitur lenissimis remediis diminuere, consilium fiebat primarium ante calomelas daretur. Hoc consilio, mixtura nitratis potassae et phosphatis antimonii, talis qualis nauseam praecaveat; infusum sennae cum supertartrate potassae, aut sulphate magnesiae cum pauxillo tartratis antimonii, in modicis portionibus, adque brevia intervalla, duos vel tres dies continuata, utiliter praecipiuntur. Post haec, calomelas optime exhibitus est, diluentibus libere assumptis, aereque frigido evitato. Haud ignoro, quosdam hypercatharsin vel effectum alium ingratum a dosi adeo magna timere solere; sed omnino contrariè; vidi hanc commodissimam, cum quinque vel sex grana, tertia vel quarta quaque hora exhibita, vomitum intulerunt, tormina et tenesmus augeri visa sunt. Postremo, haec curatio cujus

commodos

commodos effectus saepius contemplatus sum, curatio esset, demum, quam iterum persequerer, si iterum ad malignam illam regionem fata me revocarent.

Salivae sputo tandem excitato, calomelas omittendas est, et amara vel roborantia eidem substituenda; qualia sunt decoctum cinchonae, infusum quassiae, cum aromatico aliquo conjunctum, quassia cum zingibere, plerumque effectum habuit ventriculum roborandi, intestinorum vigorem restituendi: praecipue granis decem vel quindecim pulveris ipecacuanhae et opii vespere adjunctis; frigus interea cautissime praecavendum, atque corpus vestitu calido involvi debet.

Nullus quidem morbus in recidivam proclivior existit quam Dysenteria, frigore nimirum vel victu incerto. Acidum nitricum in hac regione propinatum est, ad ʒii ex aqua hordei, in viginti quatuorque horarum spatio, dysenterico jam convalescente, nec sine commodo; nunquam tamen ipse in ullo morbi tempore usurpatum viderim. Cibus levis esse debet facilisque

cilisque concoctu, veluti sago, tapioca, farina, vel oryza ex lacte cocta, quibus saccharum cum aromatis nonnullis, aegro ipso delectis, adjectum est.

Quando morbus formam longam induerit, atque credendum est irritationem conservari a vitiata vel abnormi bilis secretione, pilula hydrargyri exhibeatur utilissime, cum frictionibus unguenti hydrargyri, super hepatis regionem; aliquando acor ventriculo generatus, viscerum irritationem conservaverit, ubi effectus boni a potione carbonatis calcis, opio et electuario aromatico, vel pulvere ipecacuanhae et opii conjuncta, mihi visi sunt; siquando tenesmus molestus maneret, pilula ex pauculis opii granis in rectum immissa utilis fueret.

Enemata non usurpata sunt, cum dolor et molestia, a fistula in rectum detenta, excitata, noceret potius quam prodesset recto, jam undique corroso et inflammato.

FINIS.